



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Tractatvlvs De Reditibvs Contra Perplexos & tumultuosos catabaptistas.
Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

terim uale. IOIADA. Et tu uale.

TRACTATVLVS DE
REDITIBVS CONTRA PER-
plexos & tumultuosos catabaptistas.

PRAEFATIO.



DEO periculis maximis obnoxia sunt diuitia, ut periculo non possit carere qui de his scribere instituerit. Quod ego charissimi non temere subeo, sed motus catabaptistarum falsa doctrina, qua multos uel in libertatem carnis, uel in carnificinam conscientiarum conijciunt. Obtestor autem omnes fideles per dominum Iesum Christum, ne meis scriptis aliter, quam a me sunt edita, abutantur. Nolo auarus hinc praetextum suae cupiditati, aut scenerator suae fraudi ansam arripiat. Ad coruos cum affectibus hisce. Nos in scribendo publicam pacem & concordiam spectamus, aequitatem & iustitiam promouemus. Quidquid ergo huc non spectat, quidquid contra deum uel confectum uel meditatum fuerit, a nobis tanquam falsum & indignum reijcitur. Volumus enim ut omnia ad regulam charitatis metiantur, quam Christus ponit Matth. 7. Quaecumque uultis ut uobis faciant homines, eadem facite & uos

illis. Si qui fuerint qui hisce meis simplicibus & candidis abusi fuerint, deo fraudis suæ reddent rationem.

DE ERRORE CATABAPTISTARUM
in negotio reddituum.

Quum de redditibus catabaptistæ loquuntur, prima fronte nihil tumultus præ se ferre videtur, quod si penitus introspexeris, dolum facile senties. Quum enim simpliciter dicunt: Nullus Christianus redditus accipit, non tam durum est, quam hoc quod mox inferunt, nempe: Si nullus Christianus redditum accipit, profecto nefas ingens est accipere redditus. Iam ex hoc aliud colligitur. Nemo Christianorum unquam peccatis cooperabitur. Redditus accipere peccatum est: ergo nemo Christianorum redditus dabit. Ex quo iam consequitur Christianos redditus non debere. Vides iam quò hæc tandem uergant? nempe ad tumultus & seditiones. Sed nos istis iam dictis illa opponimus. Nullus Christianus alijs sua ui & iniuria retinet aut negat. Hoc fundamento iacto sic colligimus. Quicumq; alijs sua, ui, fraude, aut iniuria retinet aut negat, Christiani non sunt. Qui redditus aut census domino prædij aut creditori negat, uim inferunt et iniuria eum afficiunt, Christiani ergo non sunt. In summa, fideles pendunt redditus, ergo catabaptistæ sunt tumultuosi.

Sed de

Sed de iure fortasse loquuntur, nō de debito, nēpe,
 An Christianus possit aut debeat accipere redivs, &
 non an Christianus dare debeat et solvere redivs. De
 his ergo firmamenta eorum audiamus. Sic autem lo-
 quuntur. Christus Lucæ 6. sic loquitur, Mutuum date
 nihil inde sperantes. Nam si mutuū dederitis his à qui-
 bus speratis uos recepturos, quæ gratia uobis est? Nam
 & peccatores peccatoribus mutuum dant, ut recipi-
 ant paria. Quum igitur hoc præceptum sit domini,
 Christianus esse non potest, qui pecuniam suam alte-
 ri nisi conditione redivs interposita nō dat mutuum.

Præterea in Actis apostolicis legimus fideles in na-
 scenti ecclesia ita iunctos fuisse, ut omnia cōmunia ha-
 berent. Apostolorū uero et ueterū Christianorū forma
 nobis esse debet: cōsequitur ergo fidelem nō esse eum
 qui redivs accipit, cuius omnia cæteris cōmunia esse
 debēt. Et hæc firmissima sunt quibus nitūtur catabapti-
 ste, nam cætera quæ de scœnore ex scripturis citant,
 suo loco uidebimus, ut adpareat nihil esse quæ dicunt
 q̄ amarulentiam quandam & inuidam loquacitatem.

DE VERBO CHRISTI, MUTVVM
 date nihil inde sperantes.

Quandoquidem Christianos hoc dicto me-
 tiuntur, cogimur paulò diligentius genui-

T R A C T A T V S

num eius sensum eruere. Nam error est imò heresis quaedam, uerbis non intellectis aut non rite intellectis, non collatis alijs locis scripturæ, nec expensis circumstantijs, mordicus hærere. Videamus ergo quæ hæc uerba præcedât, nempe: Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui uos oderunt, benedicite maledicentibus uobis. Ab eo qui tibi pallium aufert, etiam tunicam noli prohibere. Percutienti maxillam, præbe & alteram. Ab eo qui aufert tibi tua, ne reposcas. Et: Prout uultis ut faciant uobis homines, uos quoq; facite illis similiter. Omnia hæc præcepta pari dignitate uobis habenda erunt qua hoc: Mutuum date, &c.

Quum ergo ex prædictis omnibus (nam omnium par ratio est) Christianus metiendus uenit, quero ego ex catabaptistis, quandoquidem nihil mali ex nobis ad hostes nostros redire debet, quid ergo ad illud Pauli dicent, Act. 13. O plene omni dolo & omni uersutia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ &c. Si hæc uerba Paulum excidere fide Christiana non fecerunt, sequi necesse fuerit, Christi uerba non ita nude & ruditer, ut iacent, esse exponenda, sed admittere ea interpretationem. Iam quærimus possit ne Christianus cui uis & iniuria infertur queri apud legitimum iudicem. Quod si Christianus non potest, non erit Christianus Paulus qui Cæsarem adpellat, qui exire carcerem affectus plagis non uult, sed de iniuria sibi facta conque-
ritur

ritur Act. 16. Deinde iure permittit agere Corinthijs,
 1. Cor. 6. Quod si hæc agēs Christianus manet, nec in-
 dignum quid fidelibus Corinthijs permittit, quur uos
 unico hoc uerbo, Mutuum date nihil inde sperantes,
 omnes homines à Christi fide alienos censetis, si non
 intelligāt, ut uos exponitis? Ad hæc iubet alteram ma-
 xillam percutiēti obuertere, quod tamen nec ipse, nec
 Paulus fecit, Ioannis 19. Acto. 23. Non solum non ob-
 uerterunt (inquam) alteram maxillam, sed percutien-
 tem duris uerbis exceperunt. Quod si hoc Lucæ ca-
 put regula sit, qua metiri debeant omnes Christiani,
 consequens esset nec Christum, nec Paulum Christia-
 nos fuisse, quum hæc præcepta iuxta literam non præ-
 stiterint. Si uero nihilominus pij & sancti fuerunt (ut
 certe fuerunt) manifestum fit, hoc præceptum de mu-
 tuo indicem non esse quo Christiani probentur. Ad
 catastropham ergo oculos intendite, quæ illic adijci-
 tur: Quæcunq; uultis ut uobis faciant homines, eadem
 facite & illis. Hæc summa est omnium prædictorum,
 hæc genuina interpretatio. Quis enim est qui odium
 aliorū erga se uelit? quis uult ut sibi ab alijs maledica-
 tur? quis uult ut sua sibi uel furto uel ui auferatur? quis
 uult ut ab alio percutiatur, aut ut quis ab eo mutuo ac-
 cipiat et nihil reddat? Quum ergo hæc nemo uelit fer-
 re ab alijs, nimirū talia non inferet alijs. Quid ergo si
 bi uult Christus hisce præceptis omnibus? Nihil aliud,

T R A C T A T V S

quàm perfectionem aeternæ et sanctissimæ uoluntatis diuinæ innotescere suis, cui exemplari pulcherrimo si non possumus per omnia respondere, demus operam, ut quàm proxime accedamus, & quod nolimus ab alijs nobis inferri, ne inferamus ipsis. Iam expendamus quæ præcesserunt uerba, scilicet: Sed uobis dico qui auditis, diligite inimicos uestros, &c. Quæ si rectè considerentur, palàm fiet ea quæ Lucas habet sexto cap. eadem esse cum his quæ Matthæus habet quinto. Illic enim dicit: Veteribus dictum est, ego uero uobis dico &c. Ex quo intelligimus Christum utrobique legem exposuisse. Iam finem cōsideremus uerborum ubi dicit: Et eritis filij altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos ac malos. In Matthæo: Ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est, quiq; perfectus est. Verba erga Christi in Luca uim legis exprimunt, adeoq; nostram infirmitatem produnt. Nam dum audimus: Estote perfecti sicut pater uester cœlestis perfectus est &c. qui purus, sanctus, & omni parte perfectus est, nos contra immundi & affectibus pleni: an non iam per legem in cognitionem nostræ impuritatis ac imbecillitatis inducimur? & peccatores esse ac præuaticatores conuincimur?

Quum ergo Christi uerba quæ Matth. 5. & Luc. 6. scribuntur ad legem pertinēt, non patiemur, ut uos catabaptistæ Christianos ex his estimetis. Nam si quis
 nos

nos lege meteri uelit, reperiemur omnes ex æquo & peccatores esse, & damnati. Rom. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria dei. Que ista gloria quam deus in nobis desyderat? Nimirū ut simus sancti, puri, & sine omni labe, quemadmodum deus est, qui nos ad imaginem suam creauit. Quandoquidē ergo nihil sumus quā caro & infinitis peccatis obnoxij, desyderat deus hanc in nobis gloriam. Christianus ergo non æstimandus erit ex lege, sed ex fide & gratia.

Dicis, An ergo non est peccatum quod contra legem committitur? Maxime. Qui reditus accipit ab alio in legem committit (Nam hæc lex est, Mutuum date nihil inde sperantes) ergo qui reditus accipit, peccat: ex quo cōsequitur Christianum reditus non posse recipere. Hoc argumentum catabaptistarum, qui sic de Christiano homine loquūtur, ac si oporteret Christianum hominem immunem esse ab omni peccato. Nam omnino ita colligunt: Peccat, ergo Christianus non est. Quum Ioannes dicat: Si dixerimus, peccatum non habemus, ueritatem non facimus & c. Si uero peccata nostra agnoscimus & confitemur, fidelis est deus & c. Ignorant autem discrimen inter legem & peccatum, de quo sic nota.

DE DISCRIMINE LEGIS

& peccati.

TRACTATUS

L Ex nihil aliud est quam aeterna & incommutabilis uoluntas dei. Quemadmodum uero deus excelsus est, purus & impollutus, ita & lex eius excelsa est, sancta, pura et immaculata. Quandoquidem ergo animus noster terrenus est, pollutus, foedus, & uiciosus, primus gradus diuinae legis est, ut ducat nos in cognitionem nostris ipsius, in hoc nempe, quod indicat nobis quae et qualia deus à nobis requirat, quaeque in nobis desyderet, quod dum prestare nullo pacto possumus, debitores nos esse dei lex ostendit. Praeterea quum his carere non possumus, nec sine illis esse, quae nobis uetat deus: iam, ne uitium illud naturae nostrae insitum ceteris fraudi & damno sit, sequuntur in lege prohibitiones quaedam, quae naturales impetus & affectus, ne erumpant, cohibeant. Porro si omnino erumpere contigerit, tertio loco poenae constituntur transgressoribus, ne impune hoc fecerint, quibus tanto malo occurratur, & ne latius serpat caueatur. Quae haecenus diximus, praecipis ipsis dei manifestum faciemus. Praecipit deus, Ne concupiscas. Hac lege proposita, introspecte te ipsum penitius, et expende omnia facta, dicta, & cogitata tua ad hanc regulam, inuenies deum esse summe perfectum & sanctum, legemque eius non minus sanctam & puram: te contra impurum & omni parte pollutum. Perspicias ergo iam quasi in speculo foeditatem tuam, sordes tuas, & corruptissimam naturam, & quae

Gradus in legibus diuinis.

Aug. super Ioannem, tract. 41.

et qua gloria sis destitutus quam in te desyderat deus, quam sis sub peccatum uenundatus, qui in peccato sis conceptus, enutritus, qui in peccatis haectenus uixeris, & adhuc uiuas, quam sis undiq; adfectibus impuris obnoxius. Ex his primus fructus euangelij progerminat, peccatorum scilicet cognitio & detestatio &c.

Ceterum ne morbus ille tam pestifer ingenitus carni nostrae, ne corrupta haec & uitiata natura, alijs sit damnosa, addidit alia praecpta diuina sapientia, quibus uetatur, ne furemur, ne adulterium committamus &c. Quod si primam & perfectissimam legem (ne concupiscas) seruaremus, nihil opus fuisset posterioribus praecptis, de non furando &c. Quum uero praeciderit deus, non fore ut non concupiscamus, repagulum concupiscentiae addit, ne intus latens concupiscentia, foras in damnum proximi nostri erumpat. Tametsi enim concupiscentia intus furit & insanit, domatur tamen haectenus, ne licentius grassetur & ferociat, ne Iac. 1. ue in opus ipsum turpiter erumpat. Si ui uero ruptis repagulis affectus erupit, & scelus designat, idq; cum offensione & iniuria proximi, tertius gradus diuinae legis accedit, & in transgressorē animaduertit. Aliud exemplum. Praecipit deus ne irascamur, sed ira ingenta nobis est non minus quam concupiscentia. Adhuc tamen deus praecipit ne irascamur. Quum ergo natura sumus irati, natura sumus peccatores. Hoc uero

TRACTATUS

ignoramus, donec primo legis gradu (Noli irasci) huius admoneamur. Vicio huic naturali medetur deus secundo gradu legis (Ne occidas) quo cauetur ne morbus iste erumpat & proximo noceat. Domatur ergo iræ affectus, ne quemadmodum in beluis pro libidine insolescat. Iam si frenum hoc abijciat, & iugum dei excutiat, hominem occidendo, adest multa in tertio gradu, ut & ipse occidatur. Facile iam videre est, quatenus lex peccatores nos faciat, damnet, & crudelis sit atq; horribilis. Rursus quatenus hominem oblectet et consoletur. Deinde quomodo vitæ nostræ sit regula, poenâq; transgressorum. Postremo quomodo iustis lex non sit posita. In primo enim gradu legis innotescit nobis, quàm purum quàm sanctū bonum sit deus, & hac parte summo gaudio afficit pium hominem, cui deus se tam familiarem exhibet, quem suo alloquio dignatur, cui secretissimam & sanctissimam uoluntatem suam reuelat. Quod si homo ingenium suum uitij infectum uitamq; suam corruptissimā & impurissimam, cum hac sanctissima dei uoluntate conferre inceperit, tantas sordes tantamq; imbecillitatem in se deprehendet, ut non iniuria, propter peccatorum suorum colluuiem, grauitatem, multitudinemq; exhorrescat & plane desperet, quum uidet se iure damnatum & omni ope ac salute destitutum. Hac ergo parte lex eum terrere & damnare dicitur. Tertio uero gradu legis
 poena

pena est transgressoribus posita: & hoc pacto dicitur lex non data esse iusto.

Iuxta hunc ternionem, peccatum quoque considerandum & expendendum est. Quod enim ad primum gradum legis attinet, peccatum morbus est: in secundo gradu incipit esse lapsus & error, aut prauaricatio aut transgressio: in tertio, crimen, malicia, scelus. Peccatum primo modo acceptum in Christianis & sanctissimis hominibus est, omnes enim sumus peccatores, Rom. 3. Vt cumque uero in eis sit peccatum, non tamen in eis regnat, Rom. 6.

Hæc mihi uidentur lucem adferre scripturis omnibus quæ de lege & peccato loquuntur. Nam hoc nemo inficiari poterit legem & peccatum non semper eodem modo esse accepta. Sed iam ad propositum reuertamur.

VERBORVM CHRISTI DE MUTUO genuinus sensus, et quod reditus creditorem à Christo non separet.

Rursus adior catabaptistas, & quero ex eis, Christianus an sit is, qui concupiscit, et qui irascitur, ceterum, affectum sic domat, ut nec in furtum nec in adulterium, nec in homicidium erumpat, quin ut nullo dano nulla iniuria proximum afficiat? Si Christianum

T R A C T A T V S

ex uerbis Christi Lucae 6. estimari cōtendūt, fatebuntur hūc de quo dixi Christianū haudquaquā esse. Non enim perfectus est quemadmodū pater coelestis. Quod si is Christianus non est, nullus mortalium Christianus esse poterit, quum nemo sine ira et concupiscentia nascatur. Sed Christianus esse nō desinit qui iræ aut concupiscētiæ affectibus titillatur, licet propter morbum perfectus non sit coram deo. Primus enim gradus legis sic perfectionem summam præcipit, ut interim eos, qui hanc non assequuntur, Christiano titulo non destituat, nam omnes e gemus gloria dei.

Verbum Christi (mutuum date nihil inde sperantes) sub primum gradum legis pertinet, æque ut que de ira & concupiscentia dicta sunt. Quum ergo talis gradus Christo non excludat, qui adfectibus tenentur, consequitur eos nihilominus Christianos esse, qui hoc tam arduum Christi præceptum de mutuo non per omnia præstare possunt. Præceptum uero de mutuo simile esse ei quod de concupiscentia datur, nemo negabit, qui, quid mutuum dare sit, intelligit. Mutuo respondet repensio, Christus uero nec sperare quid iubet. Quum ergo Christus dicit: Mutuum date nihil inde sperantes: idem est ac si dicat, Facultates uestras impartiri debetis libere etiam si nihil rependatur, quin nec sperare aliquid debetis quod referatur. Magis ergo docet Christus hic donare & liberaliter dare, q̄
mutuum

mutuum dare. Omnino uult Christus ut mētes nostræ fixæ sint in cœlestibus rebus, quæ terrena susq; deq; ferant, imò quæ terrestria planè nihil curent. Tam defecatum tam purum & excelsum animum à nobis exigit deus, qui sit per omnia perfectus quemadmodum ipse est. Hunc sensum præcedentia uerba confirmāt, ubi dixit: Omni petēti dato. Nec minus sequentia, quibus sic ait: Peccatores dant ut paria recipiant, uos autem non sic. Quid dici clarius poterat? Verba ergo Christi quæ hic de mutuo dixit, persimilia illis sunt quæ infra sunt in Luca 14. cap. Quicumq; non renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Et huic quod dicitur Matth. 19. Si uis perfectus esse, uade & uende quæcunq; habes, & da pauperibus &c. Si nemo Christianus est, qui hæc non præstat, nec ipsi catabaptistæ Christiani sunt, quin nullus omnino in orbe erit Christianus, qui uel semiunciã uel peram mendicalem possederit, nisi hæc uendiderit et pauperibus dederit. Et quomodo filius Abrahamæ erit Zachæus, quibus dimidium tantum bonorum pauperibus erogat, dimidium sibi reseruat? Si uero Christi uerbum fallere nequit, qui eum filium nominat Abrahamæ, adeoq; Christianum, non destituent nos Christiano nomine quæ Luca 6. 14. & Matth. 19. dicuntur, etiam si non omnia pauperibus impartierimus. Ex hoc ergo colligitur, Christum hisce uerbis tanquam primo legis gradu,

T R A C T A T V S

hominem sibi ipsi ostendere uoluisse, quo naturam suam corruptissimam perdisceret. Quo deinde disceret minus curare terrena, pendere à solo deo, et animo erectus esse in aeterna et uera bona. Quo quum ueniret, nihil dubium quin hisce terrenis, quae possideret, recte uteretur. Quum uero tam eximia et perfecta mens, quam deus in nobis optat, in nobis esse non potest, toti enim in nos conuersi, nostra tantum quaerimus etiam cum aliorum damno, sequitur aliud quoddam preceptum inferiori gradu, scilicet: Ne fraude circumuenias proximum tuum, ne dolo malo cum illo agas, ne usura aut foenore premas, sic mutuum da ne quid damni ex te accipiat. Si nobis esset animus tam liberalis et diuinus, qui facile omnes opes contemneret, qui liberaliter omnia egenis donaret, nihil istis posterioribus preceptis fuisset opus. Quum uero hoc affectu concupiscentiae carere nullo modo possumus, uetat deus ne erumpat, praecipit ut moderetur et frenum ei iniiciatur, ne proximo noceat. Iam si metas transgreditur et modum excedit, constituit deus magistratus, qui dolum et foenus poenis cohibeant.

DE FOENORE QVOMODO LO-
quendum iuxta morem scripturae, et quae
ei poena debeat.

Quandoqui

Quandoquidem fœnoris mentio facta est, quo
 & catabaptistæ cōtra receptores reddituum
 uehementer nituntur, obiter de hoc non ni-
 hil dicendum erit. Usura uocabulum nō semper in ma-
 lam partem accipitur, tametsi pro fœnore ferè, id est, <sup>Sic & fœ-
noris.</sup>
 pro eo quo quis proximum fraude premit ponatur.
 Nec tamen semper & ubiq; in malum sonat, quemad-
 modum & occidere & cōcupiscere & lucrari &c.
 Neq; enim omnis occisio mala est, nec omnis concupi-
 scentia peruersa, nec omne lucrum turpe. Est rerum
 bonarum concupiscentia, & lucrum est honestum et
 quod per deū licet. Et in Germanica honeste utimur
 hac dictione (wücher) ut quum proventus agri di-
 cimus ârdwücher. Sic geminum est lucrū, alterum
 turpe, honestum alterum, 1. Timoth. 3. Sic duplex us-
 sura, honesta & turpis ac fraudulenta. Honestam us-
 ram, dicimus iustum & honestum lucrum, per quod
 proximus nihil leditur. Turpis uero per quam aut da-
 mno afficitur proximus, aut totus opprimitur. Hoc er-
 go fœnus, quod ex auaritia nascitur, quod cum dolo
 & iniuria proximi coniunctum est, quod cum uerbo
 Christi (quæcūq; uultis ut uobis faciāt homines &c.)
 pugnat, quod ex iniustitia & malitia prodit, malum
 est, & flagitium ac crimen magnum, quod Christia-
 num hominem omnino non decet, uetitum & damna-
 tum in omni scriptura. Iam scripturas uideamus.

Deuter. 23. dominus sic dicit: Non foenerabis fratri tuo ad usuram, nec pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: fratri autem tuo absq; usura id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi dominus deus tuus in omni opere tuo in terra ad quam ingredieris possidendam. Non hoc praecipuum est perpetuum, sed permissio quaedam aut indulgentia, quemadmodum & libellus repudij, ne quid peius designarent pertinaces & praefracti, quales (quod Christus testatur) Iudaei erant. Quemadmodum ergo maritis propter duritiam cordis aliquid permittitur ne uxorum fiant interfectores, ita & diuitibus Iudaeis ac crudelibus aliquid datur, ne omnino opprimant pauperes. Datur iniquum, ut aequum impetretur.

Per foenus autem intelligit turpe lucrum quo proximus laeditur & nimium premitur. Quod ex cap. 22. Exodi manifestum fiet, nam illic idem est praecipuum: Si pecuniam mutuo dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes eum, Germani dicunt *wücher uf eyonen tryben*. Hoc enim eorum est proprium qui auari sunt & ad rem attentiores, ut inclementer & inhumaniter à debitoribus quae mutuo dederunt exigant, & iniquis conditionibus pauperes premant, ne dicam opprimant. Hanc crudelitatem & iniquitatem Hebraei metaphora uenusta à mordendo tracta (*Neschech*)

(schech) morsum nomināt quod Latini foenus. Ut enim
 omnis morsus ueneni quiddam habet adiunctum &
 pestifer est, maxime colubri, & tandem interficit: ita
 foenerator opibus suis, quibus citra necessitatem care
 re posset, ad perniciem proximi sui utitur, donec eum
 tandem perdat & opprimat. Etiam (toch) nominant
 usuram, quod detrimentū, dolum, fraudem, occultum
 damnum & imposturam significat. Non ergo con
 tractus æquos & iustos, sine quibus humana societas
 ne constare quidem potest, uetat deus, sed nimium il
 lud per quod modus charitatis exceditur, dum à pro
 ximo plus extorquemus quàm charitas & æquum fe
 rat, quod Tharbit̄ Hebræi nominant ut est Leuit. 25.
 Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, &
 susceperis eum quasi aduenam & peregrinum, & ui
 xerit tecum, ne accipias usuras ab eo (Neschech) nec
 amplius quàm dedisti Tharbit̄. Time deum tuum, ut
 uiuere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non
 dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiā non
 exiges. Græci ὠλεονασμὸς habent. Significat au
 tem Græcis ὠλεονεκτῆρ̄ interdum fraudare, extor
 quere, circumuenire & eripere. Nam homines cupi
 di fraudulentī & non raro uiolenti esse solent. ὠλεο
 νεκτῆρ̄ ἐστὶ πλεονῆχρ̄. Et ὠλεονεξία uitium est
 cognatum uitæ turpiter questuosæ. Est autem ὠλεο
 νεξία plus habendi acquirendiq; cupiditas immodica,

TRACTATUS

*auaritiaq; circumscribens, quae sibi partem maiorem
 iusta praecidit. Affectio illa animi circumscribendi au-
 da, & ex pleniori aceruo pleniores sibi partes desu-
 mere parata. Hesychius dicit ὠλεονεξία, τὸ ὠλεῖν
 τὸ δέοντος, ἐκ τινος λαμβάνειν. Non ergo omne
 foenus, non quaelibet usura simpliciter prohibetur, sed
 fraudatio illa qua praeter ius & aequum proximum meum
 premo, nimiumq; ab eo extorqueo. Mutuum dare et
 mutuū accipere omnino necessitas humana requirit,
 nec sine his uiuere possumus. Requirit enim charitas
 ut diuites mutuo dent pauperibus, rursus requirit cha-
 ritas ut pauperes quid rependant & grati sint bene-
 factoribus. Sed hic cauendum ne Tharbit, Toch &
 Neschech concurrant, hoc est, ut Paulus dicit, ne quis
 in negotio fratrem fraudet, aut circumueniat, sed sic
 cum eo agat ut secum uiuere possit. Hunc esse sensum
 scripturae, alia quoq; loca satis indicant ut in Psalmo
 25. 55. 72. Ezech. 18. Ezech. 22. Ea igitur usura, hoc
 foenus et lucrum dantur in scripturis, quae cum damno
 & iactura proximi sunt, ubi premitur, fraudatur, aut
 circumuenitur proximus. Sed ex hoc iam non consequitur
 omne mutuum quod datur et a quo aliquid accipitur,
 et ex quo ad creditorem aliquid redit peccatum esse. Hoc
 dum non expendunt catholici, sine discrimine omnes
 contractus humanos & redditus damnant, & praepo-
 stero iudicio multos innocentes contristant, quos deus
 contristatos*

contristatos non vult, adserentes quamlibet usurā aut
 fœnus, hoc est, quidquid omnino commodi ob mutuo
 datam pecuniam creditor recipiat, hic à Christo da-
 mnari, eo quod dicat, Nihil inde sperātes. Atq; eo tan-
 dem insanie prolabuntur, ut æque peccare dicāt eos,
 qui quamlibet usuram, siue impositā prædijs, aut do-
 mibus, siue minus, persoluant. Usura ergo siue fœnus,
 hoc est, quidquid commodi ex data mutuo pecunia,
 uel re alia ad creditorē supra sortem reddit, per se non
 prohibetur, ut per se cum iniquitate non est coniun-
 ctum: sed tum tandem prohibetur quum iniquitatem
 habet coniunctam, quod tum fit, quum contra regu-
 lam Christi (*Quæcumq; uultis ut uobis etc.*) hoc est
 contra regulā charitatis peccat, quum fraudi est pro-
 ximo ipsumq; prægrauat. Si oculus fuerit simplex, to-
 tum corpus lucidū erit. Si fuerimus Christiani adeoq;
 proximi amātes, docebit nos facile spiritus Christi qui
 nos agit in hisce modum seruare, neq; dilectionis regu-
 lam excedere. Non accipere usuram, sed cum damno
 fratris accipere, dilectioni pugnat.

DE BONORVM AVT RERVM

communicatione quæ fuit inter Apo-

stolos Acto. 2.

Dicant nobis catabaptistæ, qualiter hi duo loci conciliari possunt: Mutuum date nihil inde sperantes, et, Erant inter fideles omnia communia? Vbi enim omnia communia sunt, nõ est opus ut mutuo alter det alteri, quandoquidem æque pauperis omnia sunt ut diuitis. Quod si Christianus mutuo dat alteri, consequitur ipsum plus possidere quàm eũ, cui dat mutuo. Si plus habet, non sunt omnia communia, sed singuli sua possident. Nam & in quarto capite Actorũ sic scribitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Manebat ergo quisq; dominus eius rei quam possidebat, nec cogebatur eam deserere aut alijs dare, nisi quantum sua sponte uolebat. Hoc uerba Petri ad Ananiam clare indicant, dicit enim: Nõne prorsus tibi manebat? deinde uenditus in tua erat potestate? Quare ergo posuisti in corde tuo rem istam? Ex quo cõsequitur factum hoc nascentis ecclesie non legem fuisse generalem, sed liberalem quandam beneficentiam & animi beneuoli & hilaris promptitudinem ex charitate, quæ tum ardebat, subnatam. Si ista rerum communicatio Christianos faceret, ut sine illa Christianus esse nemo posset, quomodo Christiani erunt Romani, Corinthij, Macedones, omnes denique qui ad Christi fidem per prædicationem Pauli conuersi sunt?

fi sunt? Nam illis manebant suæ possessiones et facultates, ex quibus tantum cōferebant pauperibus, quantum ipsi uolebant, & quantum Christi spiritus suggererat. Huius rei testimonia quid est quod asseram, quum oīa sint plena huius rei, Rom. 16. 1. Cor. 16. 2. Cor. 8. 1. Timoth. 6. Vbi Paulus nominatim de diuitibus mentionem facit. Si fuerunt diuites, nimirum & pauperes fuerunt. Si diuites & pauperes fuerunt, non fuerunt omnia in omnibus Christi ecclesijs cōmunia. Proinde nihil est, quod catabaptistæ hac rerum nascentis & Apostolicæ ecclesiæ communicatione omnes Christianos possessionibus & facultatibus suis exuant & depellant, aut rerum suarum usu interdiciant, aut eum qui sua possidet à Christo separent, & Christiano nomine indignum faciant.

DE REDITIBVS INIVSTIS ET
iniquis, deinde de æquis & legitimis.

EAs opes, facultates & merces iniquas & usurarias uocamus, quibus cum proximus circumuenitur & opprimitur. Vt quum diues pauperem quasi uenator obseruat, modo hoc, modo illud mutuo ei dans, non ut eum adiuuet, non ut pauperis curam ex fide & charitate gerat, sed ut data occasione miserum sua possessione depellat, & quæ pauperis e-

T R A C T A T V S

rant sua faciat. An hoc non est sanguinem pauperis fundere? contra quod Psalmus decimus & Nehemie caput quintum clamat. Iam si in sorte fraus committitur, grauisime peccat creditor. Dum scilicet argento aut auro (quæ fraus in orbe tantum non regnat) pauperem premit, nihil dans mutuo, nisi is tantum dare uoluerit quantum creditor exigit, & præscribit, quum interim nõ ignoret, aurum uel uiciatum uel certe non tanti æstimatum esse. Deinde si in sortem refert, quæ in sorte data aut accepta non sunt. Item si quis uel uinum uel frumentum recipit quod nec ex fundo nec ex hypotheca redit, sed pecunia emptum est. Ut si emas uini pro uiginti medimnum.

Iam si uina & frumenta care ueneunt, debitor aut emptor: si uili, creditor aut uenditor damnum accipit, non ergo poterit is contractus esse sine fraude. Rursus iniustus & iniquus est contractus, quum in sorte fraus committitur, ut qui centum aureos dare debet pauperi, dat sexaginta, pro reliqua pecunia uilia quædam, imbecillia & manca supponit, equum uidelicet uitiosum, aut quid huiusmodi ut totam summam exæquet.

Quis enim non uidet quantam iacturam hinc faciat miser, quum equum pro uiginti accipere cogitur, cuius precium uix est decem? Item quum huiusmodi est fors, quam nec uendere nec commutare potest debitor, &

bitor, & ex qua ad eum nulla redire possit utilitas. Item cum maioris aestimatur quàm sit precium aut fructus, qua ex re pauperi & sudor & labor furtim surripitur: quum usura tantum excrescit, ut uitias sortem excedat, quod in Iudaico scœnore uidere licet. Mutuo dat uiginti aureos, de singulis dat debitor hebdomoda ^{Tharbit.} ^{Rütsch.} ^{hart.} tim duos nummos, annuatim 17. libras, 6. solidos & 7. nummos. Istam iam summam per uiginti annos subinde in sortis rationem si quis referat (ut faciunt Iudæi) excurret in summam 51854. aureorum 13. solidorum, 7. semiunciarum. Hæc uectigalia à diabolo sunt excogitata, non enim damno tantum proximum afficiunt, sed in uniuersum extinguunt. Et hæc sunt quæ in uerbo domini uetita sunt, Christianis hominibus indigna, nec à nobis defenduntur sed ut iniqua & impia damnantur.

Nos de æquo et iusto lucro aut uectigali loquimur, cuius emphyteosis aut hypotheca fundus est aut prædium ubi sors & reditus iuxta rationem utriusq; conueniunt sine fraude & damno. Ut quum senatus, aut qui rerum sunt periti, testantur sortem aut fundum exequare reditum, & e contra. Hi enim aestimatores esse possunt prædiorum & possessionum, quantum uide licet eorum sit precium, siue uinum sit, siue triticum, siue auena, modo curam & laborem ac industriam adhibeat debitor. Excludimus hic omnes contractus qui

T R A C T A T V S

clam fiunt magistratu in fraudem proximi, & eorum
 qui simplices sunt ac rerum imperiti. Loquimur etiam
 de summis, magnis & capitalibus, non de paruis de-
 bitis aut officijs, quum quis alteri uiginti uel quadra-
 ginta aureos dat mutuo, idq; liberaliter & prompto
 animo. Quod in magnis istis pecuniarũ summis, quæ
 dantur in contractibus prædijs aut possessionibus, fie-
 ri nequit, quin creditor magnam facere iacturam co-
 geretur, quum interim debitor ultra expensas & la-
 borem ingens lucrum acciperet. Quanto æquius &
 sanctius est, ut hisce in rebus medium quoddam uox
 ῥ᾽ ἐπιδικᾷς inueniat pietas ac charitas? si enim frater
 non egeat, quin possit & creditum & crediti scenus
 aliquod cum suo commodo reddere, quis quæso pro-
 hibebit illum gratum esse benefactori? aut hunc ob-
 latam, citra fratris incommodum, gratiam recipere?
 Cur enim de meo lucrum honestum mihi recipere non
 licet, si nullam proximo meo fraudem meditor? Quod
 si quis negat, consequens erit nihil officiorum aut ar-
 tificiorum etiam absq; scenore posse transigi. Nemo
 enim laborat ut perdat, sed ut honestum adquirat lu-
 crum. Iam si multum lucraris sine fraude & iactura
 proximi, benedictionẽ domini interpretaris. Quod si
 proximus fructum capit ex tuo lucro, non solum bene-
 dictio domini est, sed insuper etiam beneficium, quum
 proximus ditescit & locupletatur.

Non

Non ignoro ex institutionibus Iustiniani, quosdam fuisse qui iniquum censuerint de pecunia reditum facere, quod pecunia nihil pariat & nullum ferat fructum. Tamen si mox sequitur, hoc esse licitum. Sed hoc simul cogitandum est & expendendum, quod pecunia aut nummus, neruus est omnium commutationum & contractuum, et quod nummus in fundum per uenditionem conuerti potest, ut ferè in prædia et possessiones commutatur. Sunt rursus magnæ quædam negotiationes & pleraq; artificia quæ duntaxat pecunia transiguntur. Loquimur autem de negotiationibus & mercibus necessarijs, sine quibus humanæ societates & respublicæ ne consistere quidem possunt. In his omnibus per deum multa transiguntur pecunia, quæ ad ingentem utilitatem proximorum spectant, quum aduehantur iusto & æquo precio res necessariae, ex quibus deinde omnes lucrum capiunt.

Quis iam prohibebit, quo minus is, qui pecuniam illam mutuo dat, & omnia exponit partem huius lucri accipiat, quod alter sine periculo proximi labore suo parauit? Ergo si charitas & æquitas tribunal occupabit et sententiam feret in huiusmodi rebus, non inuidus aliquis aut capitosus, nemo talium Christiano nomine spoliabitur. Summa eorū, quæ hactenus disputata sunt, hæc est. Diuina perfectio à nobis exigit, ne concupiscamus, ne terrenis inhiemus, quin

T R A C T A T V S

ea liberaliter et sine spe retributionis donemus ac proximis impartiamus. Hanc perfectionem reperire in homine impossibile est, nam natura φιλαυτη, se et sua querit semper, nec esse sine concupiscentia potest. Hac nostra infirmitate consyderata, deus nobis condescendens aliud iam dat praecipuum, ut qui perfectus esse non possit, proximo ad perfectionem gradu consistat homo: et qui morbo carere omnino non potest, morbo tamen aliquatenus imperet. Sic autem uerbatim dominus homini concupiscentijs dedito: Ne fraudes proximum tuum: neue iniuria eum opprimas. Quod si feceris, non impune feceris. Qui ergo secundo hoc gradu consistit, nec tamen sine concupiscentia est, coram deo innocens et iustus esse non potest, eo quod morbo est obnoxius. Is uero a Christi ob id consortio depellendus, aut Christiano nomine fraudandus non est, quia proximum non fraudat nec opprimit, sed aequitati studet. Qui ergo redditus siue ex pecunia, siue ex praedijs sine detrimento proximi accipit, non debet nec potest a uobis Christiano depelli nomine.

Haecenus tam multis uerbis usus sum propter eos qui argutijs et obiectionibus suis ad haec urgent. Nam apud eos qui contentiosi non sunt, satis est dicere, hic est genuinus et simplex uerborum sensus, quod Christus nec de scenore hic, nec de negotiatione loquitur, sed docet quo quisque animo esse debeat in alios,
 nempe

nempe candido et benigno, nec sese hac in re querat, quod hi faciunt qui in hoc solum iuuant, ut ipsi potiora recipiant. Hunc in sensum parabola Lucae 14. dicta est à Christo, nempe qui et quomodo inuitadi sint, quæ parabola hunc locum quasi exponit. Deinde hoc præcedit: Si enim his benefeceritis qui uobis benefaciunt, quæ uobis gratia? Siquidem et peccatores hoc faciunt. Iam sequitur, et si mutuū dederitis $\mu\upsilon\tau\upsilon\acute{\alpha}\nu\delta\epsilon\iota\sigma\iota\sigma\iota$ $\delta\alpha\upsilon\epsilon\iota\lambda\eta\tau\epsilon$. $\Delta\alpha\upsilon\epsilon\iota\lambda\eta\tau\epsilon$ autem ambigua uox est. Significat enim ex æquo, et qui citra usuram dat mutuo, et qui ad usuram. Non ergo hic loquitur Christus de isto mutuo, quod catabaptistæ urgent, nec de quæstu sceneratorum, sed de mutuis officijs amicorum inter ipsos. At inter impios quoque reperias, qui amico credat pecuniam mutuā, idem si faciūt discipuli Christi, nihil magni faciunt. Extenuat ergo Christus hisce uerbis uulgaria officia, utpote communia cum ethnicis ac malis, ut prouocet ad illa, quæ peculiaria sunt Christianorum, ut sit in quo ceteros antecellant. Nullæ leges bonum et commodum prohibent, sed malum duntaxat. Quum igitur sic aliquid datur proximo, ut nulla ibi fraus committatur, nec damnum proximo inferatur, nihil mali fit: ergo non prohibetur si quis alteri dat mutuo, si sine eius iactura aliquid ad eū redit, nisi quis contendere uelit æquum iniquum esse.

Hisce nostris nolumus auaritiæ patrocinari, neque

probare qui ex sola infidelitate annuos prouetus coë
 munt, & omne incommodū ac damnum rei impigno
 rata apud uenditorem prouentuum relinquunt. Sed
 hoc dicimus, omnem contractum iustum esse, qui non
 pugnat cum hac lege, Quæcūq; uultis ut uobis faciāt
 homines &c. & qui nulla diuinæ promissionis diffi
 dentia confit. Christiani itaq; prædicatoris, & ueri
 Euangelistæ erit, cū Paulo nihil scire quàm Christum,
 & hunc cruci affixum: quo recepto, non poterit ab
 esse charitas. Ea tum nequibit quisquam perperā, aut
 dolo cum quoquā agere. Idem tum monebit, cum eo
 dem Paulo, imò Christo ipso, ut bonis operibus sedulo
 incumbant, qui Christum recepisse uideri uolūt, neq;
 quisquā opprimat ac fraudet fratrem in negotio. Ad
 monebit præterea periculi de quo Paulus dicit, in q;
 incidunt qui uolūt ditescere, nempe in laqueos, in ten
 tationem, in cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ
 demergunt homines in interitū & exitium: & quod
 radix omnium malorum sit cupiditas & pecuniæ stu
 dium, quam quidam dum appetunt, aberrāt à fide, et
 se implicāt doloribus multis: homines dei fugere ista,
 sectari autem iustitiam, pietatem, charitatem, patien
 tiam, mansuetudinem, certare bonum certamen fidei,
 ut adprehendant uitam æternam ad quam sint uocati.

Præcipiet deinde diuitibus, ne sint elato animo, neq;
 spem ponāt in diuitijs incertis, sed in deo uiuente, qui
 præbet

præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut benefaci-
ant, ut diuites sint bonis operibus, ut faciles sint ad
impartiendum, libenter communicantes, recondentes
sibiſſis fundamentum bonum in posterum, ut adpre-
hendant uitam æternam.

QVOD REDITVS NOS A
Christi nomine non ſeparent.

Quamuis uero abunde ſatis noſtra contra tu-
multuoſos Catabaptiſtas defendimus, uolu-
mus tamen clarioribus testimonijs proba-
re quòd reditus accipere à Christi nomine non ſepa-
ret. Christus Matth. ſeptimo dicit: Quæcunq; uultis ut
uobis faciant homines, uos eadem quoque facite illis.
Huc tota lex & prophete ſpectant. Quæcunq; ergo
huic regule non repugnant, Chriſtianũ nomen nõ adi-
munt, quòd in ſuperioribus luce clarius probatum eſt.
Reditus quum ſine fraude & damno proximi acci-
piuntur, nihil ſit contra hanc regulam: ergo reditus
ſic accipere Chriſtiano nomine non depellit. Cupidi-
tatem radicem omnium malorum eſſe, Paulus teſta-
tur 1. Timoth. 6. Diuitias habere illisq; negotiari, in
ſeſe non eſt malum, niſi cupiditas, fraus, & dolus in-
terueniat aut comitetur. Quum ergo negotijs & con-
tractibus auaritia & dolus abeſt, nihil contra Chri-

A

TRACTATUS

stum committitur. Ita uerbum Christi simplicissime potest sic intelligi, Mutuum date, nihil inde sperantes, scilicet, quod fratrem ledat aut circumueniat, nihil inde sperantes fraudulentum.

Publicanis adeoq; sceneratoribus quum interrogarent quid ipsis faciendum, Ioannes respondet Luc. 3. Ne quid amplius, quam quod constitutum sit ipsis, exigant. Usurarios fuisse publicanos, & qui publica bona ad se raperent ex ethnicorum scriptis satis manifestum sit. Legantur orationes Ciceronis, potissimum ea quæ pro lege Manilia scripsit, & res Asiaticæ &c. De Zachæo & Matthæo ex Euangelij notum est.

Sed quis publicanis istis certum modum, quem non excederent, præscripsit aut constituit, nisi magistratus? Hoc permittit eis uir sanctus Ioannes, qui plus erat quam propheta, nempe Helias præcursor Messie. Quis uero dicet tantum hunc uirum, his, qui de uia salutis interrogabant, illusisse? Qui ergo modum sibi à magistratu pio præscriptum non excedit, nec plus exigit quam equum est, Christianus manet, etiam si non omnes opes suas in uagos quoslibet profundat.

Nec quoslibet ut ethnicos abiecit deus, qui uel paulò maioribus uterentur quam reditus sient, quod de seruitute manifestum sit. Quis enim non uidet multo esse tolerabilius reditus certos & æquos dare de bonis quæ possides liber, quam tota uita alij seruire &

tans

tam grauitè premi? Iam quæro an Christianus sit qui seruos habet, ijsq; ut seruis utitur? Si hoc permittitis, ut permittere necesse est, ubi ergo communio omnium rerum erit? quid uero ad caput Lucae sextum dicetis? Si negatis, urgemus uos manifestis scripturae testimonijs. Nec est quod de mercenarijs operis intelligatis, nõ de seruis, quod speciatim iam suo loco ostendemus.

DE SERVITUTE, ET QVOD
per Euangelium non tollatur.

Seruitus in Cham filio Noë cœpit, qui ob impudens flagitium quo patris uerenda alijs ostendebat, merito à patre maledicitur. Ostendit enim perditum ingenium suum, & prodit petulantiam peccatoris sui, quum petulantissimis oculis spectare potest uerenda patris sui discooperta, à quo natura abhorret: nec solum spectat quæ uelata oportuit, sed insuper cæteris quoq; spectanda ostendit, idq; contra omnem naturam & præceptum dei. Animus ergo ab omni ingenuitate alienus, & in quo omnes affectus malè imperium obtinuerant, merito seruituti mancipatur, & qui se prius uitijs ac sceleribus mancipauerat à patre seruituti iure addicitur. Qui enim seruili sunt ingenio, recte seruiunt. Videmus ergo seruitutem ex peccato ortam, imò peccati pœnam esse, quum antea

Seruitutum
genera.

æqua omnibus fuerit libertas. Occasionem ministræ-
uit ebrietas, unde & Ambrosius dicit: Manebat an-
tequam uinum inueniretur, omnibus inconcussa liber-
tas, nemo sciebat à consorte nature suæ obsequia ser-
uitutis exigere. Non esset hodie seruitus si ebrietas
non fuisset. Ex quibus uerbis sanctissimi episcopi intel-
ligimus, ebrietatem occasionem dedisse seruituti. Equi-
dem & hodie seruitutem plerunq; ex uino & ebrie-
tate oriri, nemo potest negare. Ab isto uero tempo-
re cœpit ebrietas & durat usq; huc. Nascuntur autem
hodie serui, aut ex conditione libera, culpa sua aut a-
lia causa in seruitutem mutantur. Qui ex seruis na-
scuntur serui sunt. Et conditionis mutatio seruos effi-
cit, ut quum in bello quis capitur, seruus fit qui serua-
tur & non interficitur. A seruando non à seruiendo
nomen accipit seruus. Seruatur enim qui occidi pote-
rat. Serui etiam fiunt qui ueneunt, aut qui per igna-
uiam & socordiam rem familiarem non curant, hi
quum soluendo non sunt, ueneunt, ut est Matth. 18.
Item qui omnia prodigunt ut deinde cogantur & se
& sua aut uendere aut impignorare, & perpetua ser-
uitute obstringere. De seruitute quàm dura quàmq;
grauis sit, & ad quæ serui obstringantur, non est ut
pluribus hic dicamus. Solum ostendimus seruitutem
Euangelij prædicatione non tolli, quod mox fortissi-
mis scripturæ locis abunde probabimus.

Pauli

Pauli epistola hoc in primis testantur, quas ad heros & seruos scripsit: non solum autem Pauli, sed etiam aliorum. Nec potest hoc de mercenarijs seruis intelligi, quod Augustini aliorumq; ueterum interpretationes & scripta indicant. Sed audiamus uerba Pauli Ephe. 6. Serui (inquit) obedite ijs qui domini sunt iuxta carnem κατὰ σάρκα lyblich herren. Et deinde dicit: Vnusquisq; quod fecerit boni hoc reprobabit à deo, siue seruus fuerit siue liber. Hic uidemus seruū opponi libero. Seruus non est qui liber est, ut nihil ualeat cauillum hoc de mercenarijs. Clarius 1. Corinth. 7. Vnusquisq; in eo in quo uocatus fuit, fratres, maneat apud deum. Seruus uocatus es, ne sit tibi cura, quin etiam si potes liber fieri, potius utere. Etenim qui in domino uocatus est, libertus domini est. Similiter & qui liber uocatus fuit, seruus est Christi. Potuit aliquid dici manifestius? 1. Timoth. 6. Quicumq; sub iugo sunt serui, suos dominos omni honore dignos ducant, ne nomen dei & doctrina male audiat. Qui uero fideles habent dominos, ne contemnant quod fratres sint, sed magis inseruiant quod fideles sunt ac dilecti, qui beneficentiæ participes sunt. Sub iugo esse, quid aliud est quam in seruitute esse eum, cui libertas adempta est? Qui pro mercede seruiunt, liberi esse possunt, non sic qui sub iugo. De hoc uideatur Acto. 15. & Psal. 2. 1. Petri 2. Famuli subditi estote

T R A C T A T V S

eum timore dominis uestris, non solum bonis ac huma-
nis, sed etiam prauis. Ex his iam putamus satis proba-
tum esse, quod nec serui pro mercenarijs ministris in-
telligi debeant, nec seruitutem per Euangelium abo-
litam esse.

Q V O D C H R I S T I A N V S H O-
mo seruos habere possit.

O Bjiciet hic aliquis, prædicta loca non probare
quod herus Christianus seruos possit habere,
sed quod huic ab his qui serui sunt obedi-
endum sit. Cui iterum ex Paulo respondemus 1. Timoth.
6. qui dicit, Qui habent fideles dominos, ne contem-
nant &c. Nemo seruos melius & mitius tractare po-
terit, quàm fidelis herus, qui Christum agnoscit. Quis
enim domino seruire didicit, nimirum & alijs impera-
re didicit. Non odit seruos, non adfligit, non durius tra-
ctat aut premit, comis est & benignus. Quid potestis
contra hæc tam manifesta, quum Paulus dicat: Fideles
dominos? Qui seruos habent, sunt fideles, sunt Chri-
stiani, sunt fratres. Si hæc dabitis, uicimus nos: sin, le-
gimus uobis quæ Paulus subdit: Si quis diuersam sequi-
tur doctrinam, & non accedit sanis sermonibus domi-
ni nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem
est doctrinæ, is inflatus est, nihil sciens, sed insaniens
circa questiones ac disputationum pugnas, ex quibus
nascitur.

nascitur inuidia, contentio, maledicentia, suspiciones male, superuacaneæ conflictationes hominum mente corruptorum, & quibus adempta est ueritas, qui existimant quæstum esse pietatem. Seiungere ab his qui tales sunt. Si ergo catabaptistæ his tam apertis testimonijs conuicti, non cedunt, uitabimus eos tanquã hereticos, 1. Timoth. 6. & Tit. 1. Insuper exempla ex scripturis proferemus, Christianum hominem seruos habere, & habendo Christianum manere posse. Interrogamus ergo catabaptistas Abraham ne fuerit Christianus? Si Christianus non fuit Abraham, quorsum ergo spectat quod Christus Ioan. 8. de eo loquitur? aut cur nobis in nouo testamento exemplar fidei proponitur? aut quomodo omnes Christiani filij Abrahæ dicuntur? Si Christianus fuit (ut certè fuit) consequitur Christianum seruos habere posse. Magnum enim numerum seruorum habuit Abraham, Gen. 14. & 24.

Onesimus Philemonis seruus fuit. Philemon autem non Christianus modo erat, sed & uerbi minister, & Pauli συνεργός. Ex his ergo patet Christianum hominem posse habere & propria & seruos.

CONTRA INSOLENTIAM
& tyrannidem dominorum.

O Btestamur in domino nos patronos haudquaquam esse tyrannorum, qui dominatione sua & imperio contra fas & ius, adeoq; contra deum abutuntur, & misellam plebem iumentis similem ducunt. Quomodo enim huiusmodi Christianos nominarem, qui hominis uocabulo sunt indigni? quin omnem humanitatem & benignitatem exuerunt, ob quam causam tam crudeliter & inhumaniter cum his agunt qui suae curae sunt commisi. Nec tamen ob id seruo & subdito licet, ut iugum domini sui abijciat. Quod ex Petri doctrina satis est testatum, qui etiam prauis & morosis dominis parere iubet: & in 3. cap. latius de ea re disputans, pressos ad longanimitatem & tolerantiam adhortatur, ut ex mansuetudine & obedientia seruorum, domini ad mitiorem mentem redeant. Nihil enim asperitate & ferocitate efficitur, quibus heri magis magisq; exasperantur.

Meminerint interim heri atq; id certo sciant, deum pauperum suorum & oppressorum non obliuisci, quos & hic legibus quibusdam defensos à tyrannis uoluit. Deut. 15. Quum tibi uenditus fuerit frater tuus, sex annis seruiet tibi, in septimo anno dimittes eum liberum. Et quem libertate donaueris, nequaquam uacuum abire patieris, sed dabis uiaticum de grege, & de area, & de torculari tuo, quibus dominus deus benedixit tibi. Memento quod & tu ipse seruieris in terra Aeg

ra Aegypti, & liberauerit te dominus deus tuus, & idcirco ego tibi hoc nunc precipio. Leuit. 25. post multa uerba quæ de hac re loquitur, dicit: Si compulsus paupertate frater tuus &c. non adfliges eum per potentiam, sed metuito deum tuum.

Si obijcis, Quid ad me lex Iudaica? An ergo non pudeat te Christianum hominem inhumanius & crudelius tractare seruos quàm Iudæus faciat? Sed audite uos o heri, quid Paulus uobis dicat Ephe. 6. Col. 4. Vos domini equitatem, & equabilitatem seruis exhibete, remittentes minas, scientes, quod & uester ipsorum dominus est in cælis, nec respectum personæ apud illum esse. Ex uerbis ergo Pauli audimus, etiamsi ad annorum numerum non sumus alligati, ad regulam tamen charitatis alligatos sic esse, ut si illam fuerimus transgressi, metuendum sit iudicium dei, cui serui non minus curæ sunt quàm heri. Mites ergo & benignos in eos esse conuenit, qui eundem nobiscum habent patrem in cælis, eodemq; sanguine redempti sunt quoniam nos. Audit enim deus adflictorum & oppressorum uota & lachrymas, ut non impune ferant quicumque uim inferunt suis. Hoc in Pharaone est uidere, & in nobilitate illa quæ olim in Heluetia sic insolescebat et ferociebat, ut læsa patientia ac uicta, tandem in furorem uerteretur, & opprimentes opprimeret.

Probauimus iam ex uerbis sacræ scripturæ illum

T R A C T A T V S

posse Christianum esse, qui seruos habet. Nec interim negamus multo perfectiorem futurum, si seruos suos propter deum manumittat. Quod si non fecerit, cogi nec debet nec potest, modo talis sit qui uim non inferat, & nihil præter æquum & iustum cum illis agat.

Porro quum reditus de rebus suis accipere sine dolo & fraude (ut superiora colligamus) minus & leuius sit, quàm seruos habere, & seruis imperare neminem à deo separat: consequitur hoc quod leuius est neminem Christiano nomine depellere. Hæc ergo prædicatio quam in uulgus spargitis (Christianum non posse reditus recipere) falsa est, peruersa, & erronea, quam eneruatam & subuersam ex prædictis quibuslibet pijs satis adparet.

Restat iam ut affirmatiuam nostram, quod Christiani reditus soluant, etiam probemus.

Q U O D V E R I C H R I S T I A N I reditus soluant, & quod sit officium magi- stratus in rebus temporarijs.

Non est priuati hominis cuiuscunq; tandem, ut in rebus istis temporarijs, uenditionibus scilicet, emptionibus, negotiationibus, mercibus, solutionibus, debitis, foederibus, pactionibus aut contractibus, sua sponte aut utilitate, uel publice uel priuè.

privatim, quidquam statuatur, decernatur, aut præscribat.

Hoc enim magistratus est publicus, quibus in temporibus istis data est potestas. Vicarij sunt dei magistratus: qui duplex est. Alter enim animabus & rebus divinis: alter rebus externis & corporalibus præficiatur. Sed de altero iam loquimur cui administratio rerum externarum demandata est, ut in his statuatur ac decernatur pro temporum, locorum, & personarum qualitate, & quatenus id ad pacem & tranquillitatem publicam conducere videtur, & quantum iustitia & æquitas suadet. Iam omnium piorum est, ut præceptis & decretis magistratus huiusmodi obtemperent, nec velit quisque pro suo arbitrio tumultuari, & confundere omnia. Huic ordinationi legitime si quis resistit, is non hominibus sed dei ordinationi resistit. Est enim magistratus dei vicarius in terris, qui iuxta os domini omnia pronunciat, & iudicij iustis lites & disceptationes tollit, publicam pacem & tranquillitatem tuetur. Huc pertinet quod Paulus Rom. 13. admonet, quum de magistratus uocatione & officio locutus, mox subdit: Reddite ergo omnibus quod debetur, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.

Et Christus ipse docet ac præcipit ut Cæsari quod Cæsaris, & deo quod dei est reddatur: sub Cæsaris nomine omnem in genere magistratum intelligens. Cui

Ad quæ pertinet administratio rerum temporalium.

debetur obedientia in hisce rebus quæ cum pietate et iustitia non pugnant. Nihil unquam contra ius gentium nec Christus nec apostoli tentarunt.

Ad hoc pertinet quod Ioannes publicanis dicit, ne plus acciperent quàm sit ipsis constitutum, nimirum à magistratu, ut supra patuit. Deinde quod Lucæ 2. scriptum est de censu et professione quæ facta est regnante Augusto, sub præside Syriæ Cyrenio. Petrus omni ordinationi humanæ nos subditos esse iubet 1. Petri 2. Paulus 1. Cor. 6. quosdam esse vult in ecclesia, qui de rebus ad uitam pertinentibus decernant et statuunt, ac inter fratres, si quæ lites de ijs incidant, componant.

Quum quidam Christum de diuidenda inter se et fratrem hereditate compellaret Lucæ 12. Christus hoc officij à se reiicit in magistratum. Dicit enim: Quis me constituit iudicem aut disceptatorem inter uos? quasi diceret: Hoc magistratus munus est, non cuiuslibet priuati hominis.

Sic uidemus Ioannem, apostolos, Christum ipsum, quod ad temporaria et externa pertinet, ad magistratum retulisse omnia, ut quorum præceptis ac decretis parere conueniat, ut omnibus quæ debentur reddantur. Nihil tumultus in his mouent unquam, ne Euangelium propter hæc male audiat. Et licet Romæ, Corinthi, alijsq; magnis et maritimis urbibus, in quibus

bus magne negotiationes & contractus fiebant, prædicarent, tamen contra ius gentium nihil uel prædicasse uel scripsisse dicuntur.

Spiritus ergo Apostolicus non est, qui contempto magistratu & eius legibus pro temporarijs rebus tumultuatur & litigat. Ex patre diabolo nascitur hic, & cupiditate noxia, per quem satan, antiquus hostis ueritatis, Euangelij splendorem opprimere conatur. De quo Iacobus sic scribit: Vnde bella & lites in uobis? Nonne hinc? nimirum ex uoluptatibus uestris, quæ militant in membris uestris. Concupiscitis & non habetis: inuidetis & emulamini, & non potestis adipisci, &c.

Q V A N T V M I V G V M P E R abolitionem reddituum populo imponeretur.

Expendendum omnino simplicibus, non synceros esse, qui hæc mouent, nec amore huc instigatos, qui nondum recte consyderarunt, quid ex hisce demum sequeretur. Nec tam bene tecum agitur unquam, quin ceruicibus tuis duplex onus imponatur, utrumq; duplo grauius quam sint redditus. Decernat aut indulgeat magistratus, ut intra quinquennium omnes redditus simul cum sorte redimantur. Iam duo grauisima incommoda succedent, Alterum;

sortem ponas, aut hypothecam fundū scilicet aut prædium amittas necesse est. Nam prædium aut fundus sic impignoratur, ut si quid sorti decesserit, prædio aut fundo sarciatur. Quæ impignorantur ferè domus sunt, agri, prædia, uineta, negotiationes, &c. Quod si pauper pignus amittere, uel sortis diminutionem ferre cogitur, eadem opera ad mendicitatem adigitur. Si sortem ponere aut dare cogitur, ubi illam accipiet, quum hæctenus uicesimam partem dare uix sustinuerit, nempe reditus? Si mutuo uelit accipere, priori debito obligabitur, ut taceam interim quòd quisq; pro se sollicitus quomodo sua redimat, non possit, etiam si uelit, alijs succurrere.

Porrò, si tu, qui diues es, aut qui quinque duntaxat aut decem aureos debes, dicis: Ego reditus meos facile redimam, iam tua tantum spectas, nec proximi pauperis habes rationem. Ut maxime iam soluendo es, quo posthac uetmini aut uestra conseruabitis? quum omnis thesaurus uester cum parata pecunia in redemptione expendatur. Ad hæc reditus quidam redimi non possunt, ut quos fundi reditus nominant, hi enim ad proprietarium pertinent, ad tempus tibi duntaxat locati. Dominus ergo fundum suum, te amandato, alijs colet, aut te ut mercenario utetur.

Euangelicus est, dices, & Christianus, aut sortem donabit, aut certe bonam eius partem remittet. Quid
si non

si non est Christianus, ut plerique diuitum sunt? Sed Christianus sit, an ergo tibi dare cogitur, quo ipse ad uitam suã sustentandã opus habet? Paulus 2. Cor. 8. dicit: Non ut alijs sit relaxatio, uobis autem angustia. Non secundum imperium loquor. Nemo ergo cogi potest ut sua uel donet uel abijciat. Quod si maxime dare cogi posset, non tamen tibi. Potest enim pro sua libertate dare cui uoluerit, aut cui fauerit. An uerò Euangelium hoc te docet, ut aliena concupiscas? Aut hoc Christianum est, ut aliorum bonis ac rebus contra uoluntatem eorum utaris? Sed hæc facere cogitur (inquis) sub titulo restitutionis, quum reditus tot acceperit tamq; diu ut sortem uel exequent uel superent etiam. Respondemus illic restitutioni locum esse, ubi res dolo, furto, aut rapina partæ sunt. Reditus uerò iniqui & iniusti non sunt, non sunt rapti, non furto ablati, à nemine per uim extorti. Nam recipiuntur utriusq; & emptoris & uenditoris uoluntate, nõ in angulis, aut clam, aut per insidias, sed palàm ac coram magistratu coramq; iudice omnia transiguntur, fiunt tabellæ & instrumenta, quæ obsignantur auctoritate magistratus, impignorantur prædia, domus, uineta, &c.

De reditibus æquis & iustis loquimur, quos bona fide daturos nos pollicemur. Reditus ergo in restitutionem non pertinet. Quumq; mutuo daret diues, non

hoc inijt ut nihil esset à te recepturus, sed quod bona fide tot & tantum dares, quod tum pollicebaris non inuitus nec coactus. Quis iam feret, ut mentiaris, ut proximū fraudes, ut fidem frangas, & periurus fias? Quòd si haectenus quotannis reditus reddidisti, nimirum nihil dedisti quàm quod debebas, pignore interim pro tua uoluntate in commodum tuum usus, què fructum retinere & creditorem eo fraudare iniustū fuerit. An ergo tu hoc fructu uti potes, creditor non potest? quod tibi licet, illi peccatum erit? Si tu laborasti, ille expensas & sumptus habuit, sine quibus frustra laborasses. Tu ergo ex alieno fundo fructum capere, & ei nihil reddere uoluisti? Quid iniustitiae hic meditaris? Scriptum est 1. Thessal. 4. Ne quis circumueniat proximum aut fratrem in negotio.

Quòd si per uim et iniuriam te expedire moliris, et non dare quæ debes meditaris, uidere cuiq; facile est, quid in Euangelio quæsieris, aut quo spectaris, oculo nempe maligno & inuido ad commodum duntaxat & lucrum tuum. Quid ergo referes? quod Iudas Galileus, quod Spartacus, quod Simon & ceteri, qui per tumultum ad libertatem grassati sunt. Discant interim tibi ne micam quidem charitatis esse Christianæ, nec spectare te ad pacem & publicam tranquillitatem, sed ad seditiones & turbas. Christus censum dabat, quem non debebat, ne quem offenderet: uos dare non uultis,

tis,

tis, quod non solum debetis, sed quod bona fide polliciti estis. Diues ergo iure cogi nō potest, ut tibi sortem aut pignus libere donet, quod ne petere quidem ausis, si charitatem uel minimam habes. Tu uerò iure cogi potes, aut sortem ut des, aut ut bonis & pignoribus cedas. Quorum utrumq; quum sine maximo damno facere non possis, facile intelligis, quàm periculosum ac pestiferum sit hoc dogma catabaptistarum, quum de redemptione redituum tam temere loquuntur.

Alterum incommodum aut onus quod ex redemptione redituum uenit. Ponamus te tam esse opulentum, ut aut sortem dare, aut pignus ad te redimere possis, adhuc tamen omnes facultates & possessiones occupabunt opulenti. Hi enim omnem occasionem expectare possunt, quum pauper non possit. Venum exponentur possessiones aut prædia, & in auctionem uenient, statim adsunt diuites qui præda inbiant. Et quoniam paratam & numeratam habent pecuniam, plus offerenti & licitanti prædium, uinetum, aut domus addicitur. Omnia ad se rapiunt diuites & potentes, omnia occupabunt auari, agrum agro, domum domui annectentes. An non uidemus hic regnare fœnus? Nihil enim emet à te, sed dissimulabit se empturum, donec necessitate tanta urgearis, ut pro pecunia uilissima, quam ipse præscribet non quam tu indicas, dare cogaris. Iam magis insanient, iam magis seuiant,

opulentiores ac potentiores indies euadent, quum ex fundum & omnem usumfructum sibi usurparunt.

Mercenarijs operis conductis quotidie, prædia rustica colent, & te, qui prius partem prædij habebas, mercenario utentur. Hoc pacto nec uxori tuæ nec liberis consultum erit. Tandem huc res deueniet, ut plus terræ occupet iam unus, quàm antea quinque, ut solus tot fructus recipiat, quot prius quatuor aut quinque cum uxore & liberis alebantur. Hi omnes post hac mercenarij erunt.

Ad hæc oligarchia subnascetur, in qua pauci, ipsi mali, ac impij homines imperitabunt, & omnia pro libidine sua agent, ut nemo contra eos uel mutire audeat. Breui enim in illorum manus omnia redigentur. Domunculam uis conducere miser, occupauit totum uicum diues, ab eo conducas necesse erit. Labore (inquis) manuū mearū mihi consulam. Sed nec instrumenta habes, nec ferrum, nec chalybem, nec corium, nec pecuniam, nec prædium. Eblandiendus ergo tibi fauor diuitis, supplicibus precibus ambienda eius gratia, aut adulandum turpiter, multa in summa tibi deuoranda indigna. Si nulli amplius dabuntur reditus, metuet facultatibus suis diues, nec facile mutuo dabit quum soluendo non sis. Iam quum sortem nullam habes, nihil est quod ei impignores, tantum non ergo seruus ei fies, si quid ab eo impetrare, & non totus perire uelis.

An non

An non hoc milies grauius est quàm reditus dare? Sed mediocriter diues es, quid ergo habes quàm quod uulgo alij? Pater tuus tota uita sua strenue laborauit, se suosq; quod satis fuit aluit & sustētauit, neq; id sine necessitate. Quamobrem parum morienti reliquum fuit, præter domunculam, prædiolum urbanum, & of ficinam, quæ iam hereditate ad te translata sunt. Sed non possunt hæc tibi tuisq; sufficere, nisi habeas qui quotidie manum præbeant & opem ferant laboranti & negotianti.

Vt præteream interim calamitates temporum, uita & sterilitates frugum, negligentias, & cætera huiusmodi impedimenta quæ quotidie accidunt, & gnauiusimum quemq; non raro à meta ad quam tendit longe detinent atq; abarcent. Adeundus ergo tibi & supplicandus diues, qui non minus pignora petet & in tuto esse cupiet quàm prius. Si opem impetratam uoueris, facultates tuas & possessiones impignorabis necesse erit. Iam ergo non reditus solum dabis, sed ex necessario usu & negotiatione quoq; tua censum persolues. Quæret enim diues, iustum æquumq; sit, ut nihil de mutuata tibi pecunia accipiat, ex qua, si tibi eam non dedisset, tantum fructum capere potuerit? In summa, eò tandem res ueniet, ut diuiti totam partem negotiationis tuæ cedas, aut nihil omnino mutuo dabit. Quo fiet ut plus fructus ex suis facultatibus opulenz

lus capere, & pauperes magis deglubere possit. Sic enim eum deplumabit, ut uolare minus possit quam antea. Et hoc pacto plus usus capiet diues quam antea ex redditibus.

Sed caueantur hæc, mox aliud & grauius malum oritur, ut diues nihil mutuo det, nisi stipulatione facta. Gratia exempli. Si mihi hanc pecuniam certo tempore non restitueris, ius mihi sit pignore ut proprio uti, aut ultra sortem tot & tot dabis. Hoc mortalibus damnosius multo erit, quam decem dare redditus. Nam hic radicem sceneris damnatissimi cernere & reperire licet.

Magistratus (inquis) hæc legibus cauebit, & transgressores puniet. Esto igitur stipulationes uetet, neminem tamen iure cogere nec debet nec potest, ut sua cæteris mutuo det. Quum igitur opulentus uidet sibi uiam ad auaritiam suam explendam esse præclusam, suas opes mordicus retinebit & reponet, nemini quicquam mutuo daturus, uel prædia ac possessiones emet, uel negotiabitur, ut supra diximus: interim uerò pauperibus & inopibus consultum non est. Quamquam uerò multorum corda per prædicationem Euangelij ad misericordiam & beneficentiam in pauperes commouentur, maxima tamen pars semper suis commodis & lucris inhiabit, & auaritiæ studebit.

Quamobrem in negotijs Reipublicæ, non quid paucis, sed

cis, sed quid multis commodum & utile fuerit consy-
 derandum. Quid vulgo & ferè contingat aut contin-
 gere possit spectandum, & curandum in primis ne
 pauperes opprimantur. Pij ac fideles nulla nimirum le-
 ge opus habebunt, sed spiritu agitante ad misericor-
 diam, charitatem, & beneficentiam proclives erunt.
 Tametsi nec inter illos charitas feret, ut alterius pecu-
 nia aut opibus tu utaris, ipse penuria laboret, aut dam-
 num patiat. Oportet ergo ut per magistratum, ex
 lege charitatis, quod æquum, quod iustum, constitua-
 tur. Hoc commodissime fiet, si redditus, iuxta regulas
 superius datas, legitimi dantur & recipiuntur, qui-
 bus etiam onera supra enumerata facilius evitantur
 & cauebuntur. Potest enim diues isto pacto mutuo da-
 re: inueniet rursus pauper ubi mutuo accipiat. Nec
 possidebit diues ultra fundum & proprietatem, nec
 omnem usum fructum tollet, sed partem tantum uicesi-
 mam, uel simile quid quod æquitas suadet: nec debitor
 mercenarius duntaxat erit, sed & partem etiam pos-
 sidebit, ut etiamsi prædiorum aut possessionum pro-
 prietatem plenam non habeat, illis tamen ut proprijs
 tota uita utitur, modo rite & bona fide ea colat. Cre-
 ditori spes non erit nisi redditus, quantumcumq; debi-
 tor pecunia sua lucretur: nec debitorem creditor
 stipulationibus onerare, nec fundo depellere poterit.
 Nam qui mutuo accipit pecuniam, ut redditus de agro

suo quotannis det, manet nihilominus agri sui dominus & haeres, quum creditor agrum sibi uendicare non possit, donec debitor redditus quotannis persoluit. Expensa deinde sic sunt omnia, antequam mutuo accipias pecuniam, & redditus indicantur, ut nec tu graueris (modo gnauiter & strenue rem familiarem curaris) nec damnum accipiat creditor, nam minor non erit pecuniarum summa quam ut ex usu tuo fiet. Quum igitur pauperi praedia & possessiones manent, etiam si uel caeli inclementia uel aliud incommodum acciderit quibus miser semel uel iterum periclitetur & affligatur, potest altero anno fertiliore & uberiore prouentu facile emergere, quod itidem in stipulationibus & terminis praestitutis fieri haudquaquam potest. Nam mox ut annus fallat, et fortuna saeuierit, proprietati omni deijciatur, & omni spe destituetur miser. Qui ergo in hoc laborant, ut redditus accipere & dare prohibeantur, opulentos opulentiores faciunt, & sese tempore possessionibus spoliant, ac in perpetuam & grauem seruitutem conijciunt.

EXHORTATIO AD CATA

baptistas, ad pauperes, diuites, & potentes,
ut maiori fide synceriusq; in
reditibus agant.

Ridite

Redite ergo ad cor ò Catabaptistæ, & tractationem ac negotium redituum diligentius & accuratius expendite, ne dum pauperibus onem ferre, dumq; illis onus leuare (hoc enim prætextis, utinam uerè) uultis, duplici eos onere grauetis. Ne scindatis ecclesiam, ne reijciatis à Christo, quos dominus ipse non reijcit. Expendite apud uos an Christianum hoc sit peccatus, quod mox à commodo temporario profectum Euangelij orditur. Expendite quàm sit æquum hoc ipsum quod uos spargitis, Christianum non posse recipere reditus. Vos uerò Christiani omnino esse uultis & dici, & interim tota sorte pro arbitrio uestro uti. Nam si hoc non uultis, quid ergo de bonorum communione, deq; mutuo sine spe reditus dando somniatis? Nam iuxta sententiam uestram aut supputationem, Christianus mutuo dare cogitur sic, ut inde omnino nihil uel speret. Quæro ergo ex uobis, ubi manebit fors? an non in manibus eorum quibus data erat mutuo? Miror ergo quo titulo (Christiano scilicet) uos omnes facultates aliorum & sortem totam possideatis, quum interim doceatis Christianum non esse, qui reditus, aut paruam quandam partem accipiat. Considerate mihi, ò Christiani ciues, impostores istos, an non sint similes Philoxeno & Gnatonì Siculo qui non homines sed sordes potius sunt dicendi? Hi enim quum essent auidissimi heluones, infidissimi con-

In Timo-
ne Lucia-
ni.

uiuæ, fercula omnia in conuiujs tum oris saliuaturnarium excrementis & sordibus fœdabant, ne scilicet alij discumbentes hinc gustarent, ipsi totum deuorarent. Dicite o Catibaptistæ, Thrasiclem philosophū nouistis apud Lucianum? Nimirum nouistis, ita enim illius mores & uitam refertis, ut nemo dubitare possit uos discipulos eius esse. Equidem non nihil apud illum profecistis, habitu frugales, incessu moderati, amictu modesti, promissis barbis, suductis supercilijs magnum quiddam demurmurantes, ac si de cœlo, ne dicam & π' ο'ου delapsi essetis. Multa uobis de uirtute dissertatio, damnatis eos qui uoluptatibus capiuntur, frugalitatem laudatis, at turpia sunt & nefanda quæ uos clam designatis libidine, mendacio, confidentia, et auaritia. Timõe ergo uobis opus erit, apud quæ frustra hypocrisim uestram adornabitis, nec impune etiã feretis: largitione enim sua peram uestram explebit, quæ non capit nisi duos modios, sed ueteris mensuræ. Cessate igitur ab istis artibus, satis subolet quid tentetis. Nam si milies diceretis: Christianus debet persoluerededitus, Christianus uerò non debet recipere: idem erit ac si diceretis: Reditus non sunt reddendi. Nam si Christianus nullos reditus accipit, nimirum ab ethnico nomine (quod uos quibuslibet qui sectæ uestræ non adherent, impingitis) abhorrens, statim persoluta erunt debita, nec nummis ad hanc solutionem opus erit, sed

rit, sed hoc uerbo omnibus satis fiet, Mutuum dato nihil inde sperans. Arbitror autem, si uos non plus spei ex his caperetis, quàm creditores habere docetis, non futuram esse de his cōtrouersiam. Inuidetis ergo alijs, quod uos magnopere concupiscitis. Vnde fit, ut nihil quàm inobedientiam, rapinam, concupiscentiam alieni boni & tumultum doctrina uestra inter homines plantetis. Aut ergo ab hac peruersa mente, & corrupta doctrina desistite, aut pœnam sceleribus uestris dignam expectate.

Vos iam ex uulgo pauperes quotidie clamatis ut opem ferant diuites, ut rebus adflictis succurrant, ut consulant inopiæ uestræ, ut mutuo dent &c. Dignum certè ut hoc fiat, sed uidete ne uobis ipsi desitis. Non in hoc duntaxat culpa est, quòd nemo manum præbet, sed quòd uos uobis deestis, & uobis consulere non uultis. Non curatis rem familiarem, sed nihil aliud cogitatis quàm quomodo ab alijs semper accipiatis, nec semel in mentem uenit an hoc uobis sit profuturum, aut quomodo & quando cum gratitudine sitis reddituri. Non metiris, ò pauper, quantum ex labore, artificio aut negotiatione tibi accedat, quamquàm sit tibi curta suppellex: non sudducis census & sumptus, excedis modum in uestium luxu, in ciborum splendore & lautitia, breuiter in tota uitæ ratione: indulges genio, nec tibi tēperas, à nullo abstines quod gula, quod Venus,

quod affectus cæteri suadent: parsimonie ac frugalitatis nullam habes rationem, omnia profundis, omnia dilapidas, infideliter laboras. Hinc hinc uenit quod accise sunt res tue. Quum ergo nec lucri nec expensarum rationem subducis, nec alterius cum altero collationem facis, mirum non est quod semper eges. Dic iam quis in culpa fiet? non quod nemo mutuo dat, sed quod tu non frugi es, sed ignauus, iners, segnis, & plane inutilis: taceo quod ingratus es his qui tibi beneuolunt & benefaciunt, perfidus, & fraudulentus. De hoc Ecclesiastici uerba ex cap. 29. recensebo. Multi non causa nequitie non foenerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. Veruntamen mutuo da proximo tuo dum eget. Tu rursus redde proximo tuo in tempore suo. Constans sis uerbis, & bona fide cum illo age, & in omni tempore inuenies quod tibi necessarium est. Multi mutuum existimarunt tanquam inuentum, sed postea præstiterunt molestiam his qui se adiuuerunt. Donec accipiant, præhensant & osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant uocem suã. Tempore uerò redditionis differunt, uerba indigna loquuntur, tempusq; causantur. Quod si aliquando potuerint reddere, aduersantur et repugnant. Vix dimidium reddunt, & computant inuentum. Si pecunia non fraudant creditorem, hostem tamen sibi adquirent, idq; gratis. Coniugia & maledicta reddet illi,
 pro

pro honore et beneficio reddet illi contumeliam. Hæc
 Aenus uerba Ecclesiastici.

Scias ergo scripturam sacram non patronum esse
 perfidiæ aut negligentia ac socordia tuæ, ut quantum
 tu profundas alij suppeditent, sed potius hoc damna-
 re & omnem opem tibi negare, 2. Thes. 3. Insuper ex-
 spectadam tibi poenam à domino, nempe, inopiam, ser-
 uitudinem, & cæteras calamitates. Metue igitur deum,
 bona fide laborato, fidem serua, rationem ini tuorum
 negotiorum, cura rem familiarem, frugalitati stu-
 de, abstine à luxu & delitijs: nec cogita tam quod cupis,
 quàm quo carere possis, breui futurũ uideas quan-
 tum rebus tuis accrescet. Agnosce beneficium, & red-
 de cum gratitudine. Hæc si non feceris, in foribus erit
 uirga domini.

Et uos ò diuites, cogitate quidquid habetis domini
 esse, uos ad tempus administratores ac procuratores.
 Misericordes ergo estote & benefici in pauperes, ne
 foenore eos aut fraude prematis, ne eos spolietis. In exi-
 gendis debitis & redditibus ne sitis crudeles, sed con-
 syderate qua premantur necessitate, & quod facultas
 uoluntatem sepe destituat, consyderate quibus rebus
 sepe præpediantur quo minus fidem seruare possunt.
 Sunt temporum calamitates, frugum uitia, sterilitates,
 & c. Cogitate multo esse quietius fundum dare & pe-
 cuniam, quàm laborare & sudare. Nam si labor in-

TRACTATUS

cassum fit ubi sumptus desunt, tamen sumptus etiam
 frustranei erunt ubi nemo laborat aut negotiatur.
 Quod iustum est facite & audite quid dominus per
 Esaiam ad uos loquatur cap. 58. Nonne hoc est ma-
 gis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes aut ne-
 xus impietatis, & fasciculos iugi uel depressiones, di-
 mitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dis-
 rumpe: frange esurienti panem tuum, egenos uagosque
 induc in domum tuam, cum uideris nudum opori eum,
 & carnem tuam ne despexeris. Vos iam adpello o Ma-
 gistratus et apud quos potestas & rerum summa est,
 estote patres populi, facite quod olim Solomon et Ne-
 hemias, defendite plebem uestram, ne feratis ut sic ab
 usurarijs deglubantur & opprimantur. Magistri estis
 iustitiae & equitatis, uicarij dei in terris, tollite e me-
 dio illicitum foenus, & quidquid est iniquum, contra-
 ctus iniquos rescindite, ut redimantur curate. Estote
 fideles pastores populi, ne patiamini ut terra sic gra-
 uetur, & sanguis ac sudor pauperum fraude exhau-
 riatur. Agite in his quam proxime potestis ad regulam
 diuinae uoluntatis. Patres estis, quomodo ergo pati po-
 testis, ut a foeneratoribus & exactoribus plebs uobis
 commissa deuoretur? Rogate dominum ut oculos cor-
 dis uestri illuminet, ut oculus uester purus, simplex, et
 syncerus sit in omnibus. Latet enim amor sui ipsius in
 omni carne. Patres non sua curant, sed quae sunt filio-
 rum,

Nexus, ra-
 tioaria sunt,
 cautiones,
 syngraphae,
 quas credi-
 tores habent
 in debito-
 res.

rum, ut illis summa fide prospiciant. Ingens uobis in
in hisce rebus deuorandus labor, sed ingens conseque-
tur fructus, summa concordia, summa tranquillitas.
Non fraudabit uos deus cuius ministri estis, cuius ne-
gotium geritis. Contra iniquitatem & impietatem
pugnantibus aderit deus, egregia ac gloriosa uicto-
ria donabit.

In summa, ex diffidentia diuinæ bonitatis, & phi-
lantia quæ charitatis & concordie hostis est, quid-
quid in hisce rebus peccatur, originem habet. Hinc e-
nim auaritia et pecuniæ studium, cui comites sunt te-
tra quædam flagitia. Dominus ergo donet nobis, ut fi-
duciam in bonitatem eius inconcussam concipiamus,
deinde ut beneficia à pientissimo patre accepta per
charitatem in proximos candide & liberaliter deri-
uemus, Amen.

SEQVITVR LIBELVS

DE DISCRIMINE

decimarum. An decimas debeamus.

De legitimo usu decimarum,

& de eiusdem abusu.

Ioanni Bullingero fratri suo charissimo, Henrichus
Bullingerus salutem exoptat per Christum.

Quod à me petijsti, charissime frater, hic tibi